



Universitätsbibliothek Paderborn

Reverendissimi Ac Illustrissimi D.D. Antonii Godeau Episcopi Venciensis Viri Celeberrimi Theologia Moralis

Ex Purissimis Sacrae Scripturae, Patrum Ac Conciliorum Fontibus Derivata,
Notis Theologicis Illustrata, Duasque In Partes Divisa

Complectens Tractatus I. De Fontibus Doctrinae moralis. II. De praecipuis
ejusdem Fundamentis. III. De Peccatis. IV. De Legibus. V. De summario
dilectionis Praecepto. VI. De primo decalogi Praecepto. VII. De secundi
decalogi Praecepto

Godeau, Antoine

Augustae Vindelicorum, 1774

Caput IX. Idem continuatur argumentum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53562](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53562)

Verum profecto est ecclesiasticorum reddituum inaequalem esse divisionem. Toleranus Archiepiscopus exempli gratia centum aureorum millia reddit, Venciensis Episcopus vix mille. At non Ecclesia, sed Principum aut fundatorum liberalitas hanc facit foundationem. Hæc tamen inæqualitas nihil ad Episcopi officium spectat, quod in divite vel paupere Episcopo idem est, & ab utroque residentiam exigit. De reliquis Beneficiis idem est statuendum: singula sua habent officia, quæ Beneficiatus debet exequi. Qui majores habet redditus, non potest propterea, juxta Ecclesiæ canones, luxui & vanitati magis indulgere; hanc distinctionem sacri canones non admittunt, apud sponsam siquidem æque ac apud sponsum non est personarum acceptio (Rom. 2.). Denique extra controversiam est duo Beneficia, quorum unum pingue, mediocre sit aliud, duos esse titulos: neque Ecclesia patitur ut unus plura possideat nisi necessitas plura simul uniri postulet, ut Beneficiatus habeat unde honeste vivat, idest frugi & sobrie clericorum more.

CAPUT IX.

Idem continuatur Argumentum.

Ultimum denique effugium, quo Beneficiorum pluralitatem tueri nonnulli conantur, est nova illa distinctio, Beneficiorum nempe simplicium, & Beneficiorum curatorum, quæ vocantur etiam incompatibilia.

Tor-

Torrentem sistere nitar, si hanc damnare velim distinctionem, & paradoxon videbor plerisque asserere, si dicam plura Beneficia simplicia possideri non posse. Sed licet adverteme omnes consistant, non tamen affirmare verebor, hanc pluralitatem juri naturali & divino positivo esse contrariam. Doctorum auctoritate id jam ostendimus: neque vetus Ecclesia hanc distinctionem comparibilium & incompatibilium Beneficiorum agnovit. Nullum est Beneficium, ut hoc iterum dicamus, quod natura sua, aut fundatione residentiam aliquam non exigit, vel personale servitium, quod pluribus simul in locis præstari nequit. Si Tridentinum Concilium Beneficiorum simplicium pluralitatem expressè non damnavit, tacite id præstitit, cum veteres Canones illam damnantes innovavit. Ita Concilii verba intellexit sanctus Carolus Borromeus in suis provincialibus Conciliis: Navarres (*Manual. cap. 23. num. 15. c. 25. num. 127.*) & Vasquez (*de Benef. cap. 4. §. 2. dub. 8. num. 204.*) idem sentiunt; & Vasquesii auctoritas eo est firmior, quo nimii rigoris acculari nequit. Verum illa Pontificis verba, quibus utitur circa Beneficiorum pluralitatem dispensans, videlicet: *Dummodo plura non sint, quæ a Concilio Tridentino permittuntur*, possunt ne fecus intelligi, quam de honesta, seu Clericali Beneficiati sustentatione (a)?

(a) *Quam ridiculosum sit (inquit Guillelmus Parisiensis lib. de collatione Benefic. cap. 6.) quod quidam dicunt, quod potest habere qualibet Benefic.*

Qui plura Beneficia se dicit expetere, ut plus laboret, & plus pauperibus erogat, hic ficus foliis se tegit. Nam tantum abest, ut qui majores redditus habent, majores erogent elemosynas; ut imo magis sint avari & immites, & luxui amplius & vanitatibus indulgeant. Verum licet Beneficiatus omnia bona sua, quæ ex pluribus percipit Beneficiis, pauperibus largiretur; non tamen illa retinens esset a peccato immunis, numquam etenim licet mala facere, ut eveniant bona, juxta doctrinam Apostoli. Præter malum reddituum usum alia, ut diximus, mala ex Beneficiorum pluralitate promanent, quæ elemosynis in pauperes non vitantur. Juxta Beneficiorum redditus, non juxta pauperum indigentiam de elemosynis Deus judicabit.

Frustra etiam personæ nobilitas & scientia allegatur, ethi Lateranense III. Concilium sic loqua-

Beneficia quivis, dummodo ea bene expendat, ex his apparet. Licet enim Medicus salarium in quantumcumque pios usus expendat, quod ab ægro pro eo medicando recepit, non omnino pro hoc satisfacit ægro, qui nec minus ægrotat. Idem dicimus & de Bellatore; quantumcumque magnifice expendat stipendium, non propter hoc minus exhereditatur Rex, cujus bellum debuit agi. Similiter & de Vinitore, & de Advocato eis objici potest. Non enim solam dispensationem temporalium proventuum suscipiunt Clerici institutione sua; sed officium medicandi sauciatum, de quo loquitur Dominus (Luc. 10.) & officium agendi bellum Dei; similiter & officium allegandi causam animarum, & officium operandi in vinea Domini.

loquatur: *Circa sublimes tamen & literatas personas, quæ majoribus Beneficiis sunt honorandæ, cum ratio postulaverit, per Sedem apostolicam poterit dispensari.* Ecclesia namque non magis in ministris suis originis nobilitatem considerat, quam illam Christus in vocatione ad fidem spectavit; ideoque Apostolus ait: *Videte vocationem vestram, fratres, quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles (I. Cor. I.).* Non amplius familiæ suæ nomine uti debet Episcopus illud enim debet oblivisci, dum Ecclesiæ copulatur, & Christi familiæ Caput efficitur. In antiquis Conciliis sua tantum scribebant nomina in novis autem hæc sæpe verba addunt: *Humilis Ecclesiæ minister.* In carnalibus conjugii virorum nomina scemina accipiunt, & eorum nobilitati communicant; at in spiritali conjugio sponsæ nomen vir accipit, hæc siquidem longe est illo nobilior: ejus se famulum existimare debet, nec ejus canones violare ei licet, vel vanitate sua & luxu illam scandalizare. Mirum, rerumque esset exemplum, si illustri ortu stemmate Clericus ecclesiasticam modestiam servaret, & se Ecclesiæ ministrum esse dumtaxat gloriaretur. Potest quidem Ecclesia utile habere servitium a personis illustri loco natis, qui eam viriliter tueantur; sed id præstent oportet ecclesiastica fortitudine, armisque spiritualibus, non vanitate, luxu, aut magnificentia. Episcopus & Sacerdotes illustri loco natos cuncta videre sæcula; sed non tamquam nobiles potentes vivere, imo tamquam Dei ministri ad mortem usque

Crucis se humiliaverunt: sobrie ac modeste vixerunt, nec sibi leges violandas putarunt, quas alii servabant. At sequiori hoc sæculo sæpe contingit familiæ utilitatem Episcopos impedire, ne necessariam fortitudinem exerant, neve pro Ecclesiæ suæ defensione Principes orent, dum consanguineis suis nocere timent, suæque familiæ aliquam hinc eventuram calamitatem. Denique quando Lateranense Concilium ait, posse Papam cum aliquo dispensare, ut plura Beneficia possideat, id ita est intelligendum, ut Beneficia, in quibus non residet, nihil detrimenti ex ejus absentia patiantur, & ut Ecclesiæ servitio suo damnum illud sarciat, quod ex Beneficiorum pluralitate ipsa patitur. Brevi id fieri licet, *cum ratio postulaverit*; nec alia hic ratio esse potest, quam Ecclesiæ utilitas, quæ in omnibus est attendenda.

Scientia profecto ad bonum regimen est necessaria, præcipuoque digni sunt honore, qui illam possident; verum ecclesiastica hæc esse debet, non sæcularis. Quod si ecclesiastica sit hæc scientia; sapientibus Ecclesiæ canones suggeret, qui Beneficiorum pluralitatem damnant, & mala ostendet, quæ ex hac pluralitate promanant. Docet hæc scientia modestiam ac frugalitatem, quas bonus Clericus sectari debet, ac propterea ab obtinenda a sacris Canonibus dispensatione retrahit, quæ dispensatio semper est odiosa, ac præcipue in viris doctis, a quibus ignorari veritas non præsumitur: quare cum scientes peccent, cæteri merito scandalizantur. Plures do-

Etos homines vetera sæcula habuere: numquid propter ipsos a sacris canonibus descitum est, aut ab his ipsi discesserunt? Ecclesiæ utiliter serviebant, concionabantur, libros scribebant, contra hæreticos disputabant; sed pro Ecclesiæ quotidie pugnantes modico stipendio contenti erant. Neque avidè divitias captabant, neque superbe prodigebant: vivebant parce, & modestia, ac in pauperes liberalitate a sæculi seculi pietibus secernebant, qui avari plerumque sunt, & insatiabiles. Non doctus modo, sed & pius sit Clericus oportet: quod si vere pius sit, parvo erit contentus, ut honestè vivat. Frustra item dicent, qui plura Beneficia possident, se per Vicarios iis Beneficiis præse, quibus animarum cura adnexa est, & vulgatum illud sequi juris axioma: *Qui per alium facit, per seipsum facere videtur.* Hæc enim regula locum habet, ut explicant Jurisconsulti, quando persona ad aliquid agendum non est specialiter electa. Porro in Beneficiorum fundatione specialiter eligitur Beneficiatus ad ea præstanda, quæ sui sunt muneris: iniquum enim est, ut unus alicujus Officii emolumenta percipiat, & alter labores ac munera sustineat, ut ait Lessius. Nonne plerumque mercenarii sunt hi Vicarii, ac latrones propterea, ad quos non pertinet de ovibus, & qui juxta Evangelium ad mactandum & furandum ovile ingrediuntur? Aut hi Vicarii minus docti sunt, quam Beneficiatus, ideoque non debet iis uti: quod si meliores, aut æque boni sunt; quare Beneficia illa retinet, quibus hi sunt digni? quare non illa cum his

dividit? Tandem Innocentius II. sic ait: *Indignum est conductitiis Presbyteris Ecclesiam committi (c. quia nonnulli, de Clericis non resid.).* Huic malo Tridentina Synodus providit, sapienter jubens Parochos esse perpetuos, non amovibiles. At Priores hac regula abusi sunt, ut suam expleant avaritiam, perpetuos Vicarios instituentes, quibus tam modicos relinquunt redditus, ut vix vitam sustentare queant: qui vero nihil pro Beneficio laborant, reliquis gaudent redditibus.

CAPUT X.

Pensionis notio, causæ, & conditiones.

Pensio communiter describitur, quod sit jus aliquos ex Beneficio alieno percipiendi fructus vel ratione muneris, vel ratione concessionis specialiter factæ. Hinc duplex distingui pensio potest. Una *laicalis*, quæ sive laicis, sive Clericis propter aliquod officium aut servitium temporale exempli gratia œconomix, custodiæ, defensionis Ecclesiæ &c. conceditur: altera *clericalis*, quæ Clericis propter aliquod ministerium spirituale, exempli gratia Coadjutorix, Catechismi &c. assignatur. Huic & alia, quæ Parocho ob senectutem inhabili, aut resignanti, aut commutanti obvenit, addi potest.

Pensiones sine Pontificis auctoritate nec creare, nec exigere licet (a), hicque justis solum
ex

(a) Tres tamen casus excipiuntur. *Primus* est cum Beneficiato ob ægritudinem vel censuram ecclesiasticam